

123

Expositio Athanasii. De fide
Qui cumq; uult saluus esse ante omnia
opus est ut teneat catholicam fidem.
Hic beatus athanasius liberum arbitrium po
suit. sicut dicit in psalmo. Quis est ho
mo qui uult uitam. Et iterum
in euangelio ipsa ueritas dicit. Qui uult post me uenire.
Similiter et hic. quicumq; uult saluus esse. Non dicit uelis.
aut non. saluus eris. sed quicumq; uult. Quia dominus omnipotens
nullum hominem inuitum aut coactum trahit ad fidem. nisi qui
sua propria uoluntate uult uenire ad fidem. Sed quicumq; uult
saluus esse in corpore uel in anima. illi necesse est ut teneat ca
tholicam fidem. quia ante omne opus necesse est ut fides precedat.
Ante omnem operationem. Ante omnem inchoationem. Ante omne prin
cipium. unicuiq; opus est. ut teneat catholicam fidem. Dicente apostolo.
Sine fide impossibile est placere deo. Unde et abacuc propheta ait.
Iustus autem ex fide uiuit. Catholica. grecus sermo est. latine
interpretatur generalis. siue uniuersalis. Generalis pertinet ad omnes
homines. uniuersalis. quia per uniuersum orbem est diffusa.
Fides. est credulitas quia ueraciter credimus id quod nequaquam
uidere ualemus. Unde apostolus dicit. Fides est sperandarum
substantia rerum. Argumentum non apparentium. Dicitur namq;
fides. eo quod fit inter deum et hominem. Istam fidem. Istam credu
litatem. Ante omnia nobis est opus tenere. quia fides funda
mentum est omnium uirtutum. Et prius aedificemus fidem que
est fundamentum. et super eam ceteras uirtutes. Quam nisi quisque
integram inuiolatamq; seruauerit. absq; dubio in eternum peribit.
Quam idem quam fidem. Quisq; idem unusquisq;. Integram idem plenam.

UNIVERSITÄTS-BIBLIOTHEK HEIDELBERG
BIBLIOTECA APOSTOLICA VATICANA
HESSEN Staatliche Schlösser und Gärten Hessen
UNESCO Organisation der Vereinten Nationen für Bildung, Wissenschaft, Kultur und Kommunikation
Kloster Lorsch Welterbestätte seit 1991
© Biblioteca Apostolica Vaticana
http://bibliotheca-laureshamensis-digital.de/bav/bav_pal_lat_294/0253